


DE HYMNIS GRAECORUM EPICIS

scripsit

Dr. R. Schwalb.



DE HYDRIE GYMNORUM EPICIS

av. 1811

Dr. R. Schwalb

Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄσπτον.

Callimachus.

**U**bi primum de veteribus Graecis certi aliquid comperimus, deos ab iis coli audimus et sacrorum initia ac prima quasi lineamenta iam existere videmus. Nam sicut infantes, simul ac primum lingua uti periclitantur, patris vel matris nomen balbutiunt, ita etiam omnium fere populorum hoc primum est, ut deos venerentur, quibus de vita quasi gratias agant. Mox omnia ad deos referebant Graeci, quibus invitis quidquam prospere evenire posse desperabant. Inde sacrificia, lustrationes, supplicationes, *θεωραίαι*, sive legationes ad oracula missae. Quum segetem faciebant, deos propitios, quum in proelium proficiscebantur, deos adiutores invocabant, nihil gravius unquam suscipiebant, nisi antea precibus deo adhibitis, aut praeceptis ab oraculo petitis. Rursus de acceptis beneficiis, sive de larga messe, sive de victoria reportata, meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persolvebant, dies festos agebant, sacra instituebant, dona dedicabant, templa exstruebant, in quibus pro communi sacrificantium salute a sacerdotibus preces fierent, subiectis multitudinis acclamationibus. Quovis denique modo deos celebrabant, saltatione, pompa, cantatione, etiam carminibus, quae pietas ipsa quasi eos prima condere docuit; namque pii vates primi Graecorum poetae feruntur.

Atque haec hymnorum quoque origo fuisse videtur. Erant cantica in deorum laudem composita. Quae etsi incondita primo fuerunt — *ἀντοσχεδιάσματα* —, mox tota Graecia ita floruerunt, ut numeris subinde adstricta veram formam poeticam adipiscerentur, etiam primis poetarum certaminibus materiam suppeditarent, teste Pausania, X. 7. p. 813: *ἀρχαιότατον δὲ ἀγώνισμα γενέσθαι μνημονεύουσι, καὶ ἐφ' ᾧ πρῶτον ἄθλα ἔδεισαν, ἄσαι ἕμνον ἐς τὸν θεόν.* Cfr. H. H. in Vener. (6.) v. 20. — Eadem etiam veterum de hymnes opinio erat. V. Plat. Legg. III. p. 700: *καὶ τι ἦν εἶδος φῶδης εὐχαὶ πρὸς θεούς, ὄνομα δὲ ἕμνοι ἐπεκαλοῦντο.* Cfr. Symp. p. 177. A. — Menand. de Encom. 1: *ὅτε μὲν ἔπαινος γίνεται εἰς θεούς, ἕμνους καλοῦμεν.* — Schol. Soph. Electr. 385: *ἕμνος κυρίως ἢ εἰς θεὸν φῶδῃ.* — Procl. ap. Phot. p. 522: *καὶ εἰς θεούς μὲν ἀναφέρεσθαι ἕμνον.* — In quavis solennitate tales cantus adhiberi soliti sunt; in pompa sacra (Procl. l. c.: *ἐλέγετο δὲ τὸ προσόδιον, ἐπειδὴν προσίασι τοῖς βωμοῖς ἢ ναοῖς, καὶ ἐν τῷ προσιέναι ἤδετο πρὸς αὐτόν.*), inter libationem (Iliad. I. 472. sqq. 601. sqq. Callim. H. in Iov. init.), in ipsis amicorum privatis conviviis (Odyss. I. 337. sqq. Athen. V. p. 192: *πᾶσα δὲ συμποσίον συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε, καὶ στεφάνοις ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τῶν θεῶν, καὶ ἕμνοις,*

καὶ φῦλαϊς.). Inde exorta sunt σκολία, genus quoddam lyricae poesis Atticis potissimum usitatum (τῶν Ἀττικῶν ἐκείνων σκολίων, Athen. XV. p. 693.), a Terpandro inventum (Plat. de Mus. p. 1140. E: καδάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολίων μελῶν Τέρπανδρος εὔρετῆς ἦν.), τὰ παροίγια ᾄσματα (Schol. Aristoph. Ran. 1337. Vesp. 1231.), quae saepe idem quod hymni argumentum habuisse videntur (Aeman. Fr. 37: φοίνας δὲ καὶ ἐν Διάσοισιν ἀνδρείων παρὰ δαιτυμόνεσσι πρέπει παιᾶνα κατάρχειν.). — Non multum denique interfuisse coniicias inter hymnos et ἐγκώμια, vel quae Homerus vocat κλέα ἀνδρῶν (Il. IX, 189. Etym. Gud. p. 540, 42: ὕμνος ἐγκωμίου διαφέρει, καὶ ὁ μὲν ὕμνος ἐπὶ θεοῦ λέγεται, τό δὲ ἐγκώμιον ἐπὶ ἀνθρώπων. Arrhian. Exp. IV. 11: καὶ ὕμνοι μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιῶνται, ἔπαινοι δὲ ἐς ἀνθρώπους.).

Tam frequens quum fuerit hymnorum usus tantoque honore habitus, non mirum est omnes fere Graecorum poetas inde ab Orpheo usque ad Proclum variis hymnorum generibus excolendis operam dedisse, ita ut prope obruaris et absterrearis quum ingenti poetarum hymnologorum numero, tum immani nominum farragine, qua in dividendis hymnorum generibus utuntur veteres grammatici. Permultas enim hymnorum species exhibent, modo argumenti, modo formae, modo deorum quibus dicati erant ratione habita: μυθικὸς, γενεαλογικὸς, κλητικὸς, ἀποπεμπτικὸς, φυσικὸς, ἐκτικὸς, ἀπεικτικὸς, χαριστηρίους, πεπλασμένους, μητρωκὸς, ἐρωτικὸς, νόμους, προσόδια, παιᾶνας, ἔπορχήματα, σέπλιγγους, λούλους, δημοτριούλους, ἰοβάκχους, φαλλικὸς, ἄδωνίδια, φῦλαϊς, ᾄσματα, δαφνηφορικὰ, ὠσχοφορικὰ, τριποδηφορικὰ, cetera. (v. Menand. I. c. 1. p. 594. Procl. p. 522. Spanh. Praef. ad Callim.).

Verum haec nomina quid significant singula, difficile est accurate definitu, et vereor, ut ex iis hymnorum veram naturam probe intelligere possimus. Quare remissa illa grammaticorum docta subtilitate in dividendis hymnorum generibus, duplicem modo in universonum vocabuli ὕμνος significationem cum Orione et Proclo statuere praestat, alteram generalem, quam dicunt, ut complectatur omne in deorum laudem et gloriam compositum carmen, alteram specialem, ut sit canticum in deum ad citharae sonum a choro stante vel saltante decantatum. Cfr. Orion. p. 155: κεχώρισται δὲ (ὁ ὕμνος) τῶν ἐγκωμίων καὶ τῶν προσοδίων καὶ παιάνων, οὐχ ὡς κἀκείνων μὴ ὄντων ὕμνων, ἀλλ' ὡς γένος ἀπὸ εἶδους. Procl. c. 9: ὁ δὲ κυρίως ὕμνος πρὸς κιδάραν ἦδετο ἱερότων. Athen. XIV. p. 631. D: τὸν γὰρ ὕμνον οἱ μὲν ὠρχοῦντο, οἱ δὲ οὐκ ὠρχοῦντο. — Hymni autem proprie dicti (οἱ κυρίως ὕμνοι), quos, quum magis religionis sacris institutis quam artis ingenuis praeceptis inservirent, rituales, sive germanice liturgische Hymnen, non male nuncupaveris, una cum veterum Graecorum diis, templis ac sacris omnes, nullo fere vestigio relicto, interierunt. — Praeter hos vero alii exstabant hymni, quos simpliciter poeticos nominare liceat, qui deos liberiori quodam impetu poetico celebrabant, ad ipsorum poetarum pietatem aut philosophiam apti, vel elaborata artis ac doctrinae eorum documenta. Huius generis exempla et fragmenta satis multa, poetarum hymnologorum nomina et grammaticorum de carminibus eorum iudicia etiam plura ad nostram usque pervenerunt aetatem.

Hymni poetici argumentum quoddam sive mythicum sive philosophicum tractant, alii epice magis, alii lyrice, alii denique mea prooemia sunt, i. e. breves deorum invocationes ad auspicandum aliud quoddam carmen. Vetustiore[m] autem hymnorum poeticorum formam epicam quam lyricam esse existimo. Quis enim sacerdotum preces, quibus diis supplicabant gratiasque agebant, breves, simplices ac tenues, certis formulis rite circumscriptas, vel rudes etiam incultorum hominum clamores et lamentationes ex intemperato animi impetu fusas carmina vocet? Etenim quae arte ac diligentiori tractatione omnino carent nec nisi animi quadam commotione nascuntur, poeticum genus nondum constituunt. Hymni lyrici autem, quorum ad nos pervenit notitia, tempore multo posteriori demum conditi sunt ab Alcmane, Alcaeo, Sappho, Stesichoro, Simonide, Bacchylide, Anacreonte, Pindaro, aliis. Verum haec carmina non solum forma et metro, sed etiam argumento, tota denique natura atque indole ab hymnis Homericis, quod est caput quasi ac summa disputationis nostrae, longius discedunt, quam ut cum iis apte comparari posse videantur. Qua re hic nobis de iis modo sermo erit hymnis, qui sunt epica quadam forma induti, vel saltem versu hexametro compositi.

Antiquissimis temporibus vates quidam sapientes, summa observantia culti, nondum poetae quidem dicti, sed cantores (*αοιδοί*), numinis quodam afflatu (*ἐνθεοί*) divinos fundere cantus vulgo crediti esse perhibentur. Quae vetustissima Graecorum carmina quum dudum perissent, fama tamen superstes vatum nonnullorum nomina, gratis etiam posteris sanctissima, servavit, quibus carminum vetustiorum reliquias, quae auctore ignoto ferebantur, auctoritatis adstruendae causa, fide aut nulla aut admodum incerta, antiquiorum temporum ἀκρισία tribuere haud dubitavit. Hac ratione intelligendum esse inclitum illud Herodoti iudicium, II. 53: *οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν (Ὅμηρον καὶ Ἡσιόδον) γενέσθαι, ὕστερον, ἔμοιγε δοκέειν, ἐγένοντο τούτων*, vix ambigi potest. Namque ante Homerum et Hesiodum poetas (*θεῖος αοιδός*) fuisse, ne hi quidem ipsi negant (II. II. 594. sqq. Od. XII. 70. multisque aliis locis). Verum uti luce solis lumen lucernae offunditur, sic pristina illa poemata, soli quippe memoriae tradita, nitore Homeric[o] obscurata evanuerunt. Ista autem carmina, quae postea priscorum illorum vatum nomina usurpabant, Herodotus temporis multo senioris esse putat, post Homerum et Hesiodum denique composita. Atque in eo multi viri docti, a Scholiasta Aristidis (v. infr.) usque ad Bernhardy[um] nostrum, nescio an nimis difficiles, ei assenserunt, repugnantibus aliis. Adhuc sub iudice lis est, neque equidem tam gravem controversiam hic in transitu quasi leviter dirimere ausim.

Inter divinos autem illos vates, qui multis ante Homerum seculis fuisse traduntur, primus quoque hymnologus Graecorum (*ὃς τοὺς ὕμνους τοὺς ἀρχαιοτάτους ἐποίησεν* Ἑλληνισιν. Pausan. IX. 27.) fama claret, Olen Lycius, quem Boeo (*Βοιωτῶν δὲ ἐπιχωρία γυνή ποιήσασα ὕμνον Δελφοῖς*. Pausan. X. 5.) ipsius oraculi Pythii conditorem versusque hexametri inventorem dicit his verbis:

Ὡλήν δ' ὃς γένητο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,  
 Πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτῆρας αἰδάν.

Alii, nescio an verius, Phemonoen quendam primam metro heroico usam esse affirmant. V. Pausan. X. 5: *μεγίστη δὲ καὶ παρὰ πλείστον ἐς Φημονόην δόξα ἐστίν, ὡς πρόμαντις γένοιτο ἢ Φημονόη τοῦ θεοῦ πρώτη, καὶ πρώτη τὸ ἑξάμετρον ᾗσε.* Addit primum versum hexametrum ipsum Plutarchus, de Pyth. orac. p. 402. D: *ἔγιοι δὲ καὶ πρόδιον φασιν ἡρώων ἑπταῦδα μέτρον ἀκουσοῦσθαι. Συμφέρετε πτερὰ τ' οἰωνοὶ κηρόν τε μέλισσαι.* Cfr. Clem. Alex. Strom. I. p. 323. 333. 334. — Sunt qui minus probabiliter Orpheo vel aliis ultimae antiquitatis poetis, quorum nomina affert Clemens Alexandrinus (Strom. I. p. 366. cfr. Lob. Agl. I. p. 233.), hunc honorem tribuant. — In eo acquiescamus cum Plinio (N. H. VII, 57), hexametrum, vetustissimum Graecorum versum, oraculi Pythii inventum esse, quo dei ipsius effata a sacerdotibus enunciabantur. Cfr. Heraclid. Pont. ap. Athen. XV. p. 701. Terentian. 1580. sqq. — Inde a veteribus grammaticis hic versus saepe Pythius aut Delphicus aut theologicus nominatur. Idem deinceps carminibus sacris et heroicis (ἔπεισι) inserviebat, atque insigne quoddam hymnorum genus perantiquum, quod νόμους vocabant, hoc potissimum metro usum esse tradunt. V. Procl. c. 13. Plut. de Mus. c. 6.

De hymnis vero Olenis in Delo insula depositis certiores nos facit primus Herodotus, IV. 35: *οὗτος δὲ ὁ Ὀλὴν καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παλαιούς ὕμνους ἐποίησε ἐκ Λυκίης ἔλθων, τοὺς ἀειδομένους ἐν Δήλῳ.* Ibidem laudat hymnum eius in Argen et Op in virgines, quae ex Hyperboreis sacra Ilithyiae in Delum detulisse ferebantur. Eiusdem hymnum in Aethiam, nescio quam, memorat Pausanias, V. 7. 4., una cum Melanopi cuiusdam Cumani hymno in Op in et Hecaergen; Olenis hymnum in Iunonem, II. 13., alium in Ilithyiam, I. 18., in quo Lucinae adventus ex Hyperboreis in Delum ad Latonae partum adiuvandum celebrabatur, quique senioribus etiam temporibus in sacris Deliacis decantabatur. Cfr. IX. 27: *μητέρα Ἐρωτος τὴν Εἰλειθυϊάν φησιν εἶναι, et VIII. 21: εὐλινόν τε αὐτὴν ἀνακαλεῖ.* Spanhem. ad Callim. 292. et 305. — Post Olenem Pamphus antiquissimus Atheniensium ὕμνοποιός dicitur. V. Pausan. IX. 27: *Ὀλῆρος δὲ ἔσπερον Πάμφως τε ἔπη καὶ Ὀρφεὺς ἐποίησαν καὶ σφίσι ἀμφοτέροις πεποιημένα ἐστὶν ἐς Ἐρωτα, ἵνα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις Λυκομῆδαι καὶ ταῦτα ᾄδωσιν.* IX. 29: *Πάμφως δὲ, ὃς Ἀθηναίους τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους.* Maxime laudatur hymnus eius in Cererem, quem Homericus ille eidem deae dicatus velut archetypum secutus esse videtur (Pausan. I. 38. 39. IX. 31.). Primus Gratias (Χάριτας) celebravit (IX. 35.). Unus tantum versus eius ex hymno in Neptunum superstes est, Pausan VII. 21: *Ἴππων τε δωτῆρα νεῶν τ' Ἰθνηκρηδέμων.* Namque Pamphi esse fragmentum illud absonum ineptissimumque, quod invenitur apud Philostratum, Heroic. p. 693:

*Ζεῦ κύνιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλαμένε κόπρη*

*Μηλείη τε καὶ Ἰππεῖη καὶ ἡμιονεῖη,*

credat Iudaeus Apella, non ego. — Dianae hymnum dicavit eamque primus Καλλίστην nuncupavit (VIII. 35.). Denique hymnus eius ἐς Ἐρωτα supra memoratus est (IX. 27.); in Lycomedarum usum conscriptus erat, qui solennibus mysticis Eleusiniolorum inserviret. In eorundem Lycomedarum usum conditi erant hymni Orphei et Musaei (v. infr.). — Poetica laude

vetustissimo illo tempore non minus insignes fuisse videntur alii hymnologi Apollinis, velut Carmanor eiusque filius Chrysothemis, Cretenses, Anthes Boeotius, Philammon Delphicus, et prae ceteris fabulosus ille Thamyras Thracius; omnes fere Delphis palmam consecuti, de quibus Pausanias et Plutarchus mentionem faciunt his verbis: Pausan. X. 7: καὶ ᾤσεν (ἔμνον ἐς τὸν θεόν) καὶ ἐνίκησεν ἄδων Χρυσόθεμις ἐκ Κρήτης, οὗ δὲ ὁ πατήρ λέγεται Καρμάνωρ καθεῖραι Ἀπόλλωνα. Χρυσοθέμιδος ἕστερον Φιλάμμωνα τε φθῆ μνημονεύουσι νικῆσαι, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ Θάμυριν τὸν Φιλάμμωνος. Plut. de Mus. c. 3: καὶ Ἄνδρην, τὸν ἐξ Ἄνδρῶνος τῆς Βοιωτίας, ἔμνον, . . . καὶ Φιλάμμωνα τὸν Δελφόν, Ἀητοῦς τε καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος γένεσιν δηλῶσαι ἐν μέλεσι, καὶ χοροὺς πρῶτον περὶ τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν στήσαι. Θάμυριν δὲ, τὸ γένος Θράκη, εὐφρονότερον καὶ ἐμμελέστερον πάντων τῶν τότε ᾄσαι, ὡς ταῖς Μούσαις, κατὰ τοὺς ποιητὰς, εἰς ἀγῶνα καταστῆναι. Cfr. II. II. 594. sqq. Eurip. Rhes. 915. sqq. Plat. Legg. VIII. p. 400. Rep. X. 16. Ion. c. 4., al. I. —

Clariiores autem his omnibus erant Orpheus eiusque imitator Musaeus, in musicum illud certamen ne dignantes quidem descendere. V. Pausan. X. 7: Ὀρφεία δὲ σεμνολογία τῆ ἐπὶ τελεταῖς καὶ ἐπὶ φρονήματος τοῦ ἄλλου, καὶ Μουσαῖον τῆ ἐς πάντα μιμήσει τοῦ Ὀρφέως, οὐκ ἐδελησαί φασιν αὐτοὺς ἐπὶ ἀγῶνι μουσικῆς ἐξετάζεσθαι. — Quamquam de Musaeo quidem non multa sunt, quae nobis hoc loco afferenda sint. Etenim longum est atque inutile ad nostram disputationem omnes illas de Musaeo fabulas valde inter se discrepantes hic colligere. Quas qui desideret, videat quae de vita et carminibus Musaei satis copiose ac luculenter disseruit Fr. Passowius. Pausaniae potissimum auctoritatem sequens Atheniensem eum fuisse putat, ex Eumolpidarum tamen Thracia gente ortum, Antiphemi filium, Eumolpi, mysteriorum Eleusini-  
norum conditoris, patrem, et ipsum vatem et sacerdotem Cereris, magnum in sacris teletisque nomen. Cui quum plura carmina, passim scriptoribus laudata, tum hymni tribuuntur; atque nihil eius liquido superesse ait Pausanias praeter hymnum in Cererem Lycomedis dicatum, I. 22: καὶ ἔστιν οὐδὲν Μουσαῖον βεβαίως, ὅτι μὴ μόνον ἐς Δημήτερα ἔμνος Ἀνκομίδαις, Cfr. IV. I. et quae supra de Pampho diximus. — Alium Musaei hymnum in Bacchum una cum Orphico in eundem deum composito memorat unus Aelius Aristides in Laude Bacchi, T. I. p. 51., sed non magni facit. Cfr. Passow. Praefat. ad Mus. p. 52. sqq. et p. 78. —

Orpheus Thracius, Argonautarum iste comes, quasi patronus et proavus omnium postea poetarum habitus est (φορμικτὰς ἀοιδῶν πατήρ, Pind. Pyth. 4, 313.), mira arte praeditus, mysteriorum initiator, quem Graeci et Romani scriptores certatim laudibus efferunt, fabulis cumulant. Tradunt Calliopes Musae filium eum fuisse atque ab ipso Apolline lyram illam a Mercurio infante fabricatam accepisse, quam moriens discipulo suo Musaeo hereditate reliquerit. Cfr. Passow. Praefat. ad Mus. p. 14. Plat. Legg. VIII. p. 829. Eurip. Rhes. 946. sqq. Pausan. IX. 30. Horat. I. 12, 7—12. de Art. Poet. 390—400., al. I. Memoratu digna quoque, quae de singulari eius pietate in uxorem Euridicen et de morte vulgo narrantur, a furibundis Maenadibus eum discerptum esse (Virg. Georg. IV, 594. sqq. Ovid. Met. X, 3. sqq., al. I.). Hae fabulae optime nos de ingenio et arte Orphei certiores faciunt, utpote qui Apollinem magi-

strum secutus *ἀρμονίαν* quandam in vitam et musicam induxerit. At de Orpheo quid quaerimus? Docuit ipse Aristoteles (v. infr.) Orpheum poetam nunquam fuisse; quem secuti sunt alii viri docti. V. Suid.: Ὀρφεύς, Ὀδρύσης, ἐποποιός. Διονύσιος δὲ τοῦτον οὐδὲ γεγονέναι λέγει. ὅμως ἀναφέρονται εἰς αὐτὸν τινὰ ποιήματα. Voss. de Art. Poet. c. 13. Nolumus hic fusius litigare de hac re; est enim haec criticorum ratio quidquid addubitandi nostra maxime aetate nimis accepta. Quanto qui utitur dubitandi studio, nihil omnino pro certo habere eademque probabilitate Napoleonem nunquam fuisse quam Homerum vel Christum evincere poterit. Cum illis equidem facere malim, qui non negant quidem fuisse omnino aliquem Orpheum, magnum sapientiae laude virum, Ὀρφῆν ὀνομακλυτόν, ut ait Ibycus, Troianis temporibus paulo superiorem, sed carmina eius genuina exstare non putant. Namque illud utique corpus Orphicorum quod ferebatur — Ὀρφείως θεολογίαν — multis denique post seculis ad exemplum nescio quod vetustiorum quorundam carminum ab Onomacrito illo Pisistratarum aequali (Herod. VII. 6. cfr. Pausan. I. 22.), vel alio quodam eiusdem temporis poeta aut philosopho effictum Orpheoque suppositum esse, communis plurimum antiquorum sententia est. V. Cicer. N. D. I, 38: Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. Cfr. Herod. II. 81. Suid. Philopon. in Arist. de An. I, 5: καλονμένους εἶπεν, ἐπειδὴ μὴ δοκεῖ Ὀρφείως εἶναι τὰ ἔπη, ὥς καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς περὶ φιλοσοφίας λέγει αὐτοῦ μὲν γὰρ εἰσι τὰ δόγματα, ταῦτα δὲ φησὶν Ὀνομάκριτον ἐν ἔπεσι κατατεῖναι. Schol. Aristid. T. III. p. 545: ἀρχαιότατος δὲ ἐστὶν ὁ Ὀμηρος, ὡς ἴσμεν. εἰ δὲ τις εἶποι καὶ μὴν πρὸ αὐτοῦ γέγονεν Ὀρφεύς· λέγομεν δὲ ὅτι ὁ Ὀρφεύς πρὸ αὐτοῦ γέγονε, τὰ δὲ δόγματα Ὀρφείως Ὀνομάκριτος μετέβαλε δι' ἑπῶν, χρόνῳ ἕστερον Ὀμήρου γενόμενος. Ceterum Orpheum ipsum dialecto Dorica et litteris Pelasgicis usum fuisse alii memoriae prodiderunt (v. Iamblich. de vita Pythag. c. 34. Diodor. 3. 66.). Atqui praeter ea, quae in universum de divinatorum illorum vatum reliquiis supra ad locum Herodoti (II. 53.) diximus, nihil amplius nos adiacere opus est, nam acutissime atque doctissime hanc de Orpheo et de Orphicis quaestionem pertractavit Lobeckius in Aglaophamo. Orphens poeta fuerit igitur necne, aliis iniudicatum relinquamus. Sunt certe multa, quae ad poetam quendam huius nominis referantur. Nam praeter veterum de eo iudicia, velut Platonis, Aeschylī, Euripidis, Aristophanis, Pindari, Pausaniae, Suidae, Alexandri Polyhistoris (ap. Plat. de Mus. p. 1132: ἐζηλωθέναι δὲ τὸν Τέρπανδρον Ὀμήρου μὲν τὰ ἔπη, Ὀρφείως δὲ τὰ μέλη. ὁ δ' Ὀρφεύς οὐδένα φαίνεται μεμιμημένος.) — cfr. Lobeck. et Gesneri Prolegg. —, praeter Orphicorum fragmenta, quae et aetate et auctoritate valde disparia apud varios scriptores dispersa inveniuntur, carmina quoque integra aliquot ad nostram pervenerunt aetatem, quibus Orphicis nomen inditum est. De his vero acrior etiam controversia diu agitata est inter viros doctos, quorum quot capita tot fere sensus exstiterunt. Nostris denique temporibus huic tantae litigationi finis videtur impositus esse a Godofr. Hermanno, qui doctrina qua praeditus erat maxima, iudicii acumine et sagacitate critica etiam maiori tam luculenter hanc rem pertractavit, ut dubitari amplius vix possit, quin supposititia sint illa carmina. Numeris et dictione praeser-



tim auctorem vel Onomacritō multo posteriorem ea redolere; non esse eiusdem poetae minimeque colore Homérico nitere, contra Gesnerum et Ruhnkenium argumentis et exemplis ita firmavit, ut confutare eum haud facile possis. Sed missa de Argonauticis et Lithicis quaestione, quae plurimum vexavit viros doctos, — de hymnis nobis dicendum est, quos Hermannus quoque illis vetustiores ducit, J. Jos. Scaliger autem paucis verbis ita circumscribit, Annotat. in Initia Orphei init.: Hic liber non proprie sunt ὕμνοι, sed τελεταί, nam in hymnis natalia, gesta et eiusmodi narrantur; hic vero tantum invocationes deorum, quibus utebantur in mysteriis, qui sacris cuiuspiam dei initiarentur; sunt etiam ad depellenda adiecta. Quae omnia tamen fiunt cognominibus mysticis. — Rem optime attingit magnus Scaliger, notionem hymni paulo angustiore definit. — Pausanias, iudex in tali re gravissimus, propter spiritum nescio quem divinum antiqui Orphei hymnos usque tunc exstantes hymnis Homericis praeferit his verbis, IX. 30: Ὅστις δὲ περὶ ποιήσεως ἐπόλυπραγμόνησεν, ἤδη τοὺς Ὀρφείως ὕμνους οἶδεν ὄντας, ἑκαστὸν τε αὐτῶν ἐπὶ βραχέτατον, καὶ τὸ σὺμπαν οὐκ ἐς ἀριθμὸν πολλὸν πεποιημένους. Λυκομηῆδαι δὲ ἰσασί τε καὶ ἐπάδουσι τοῖς δρωμένοις· κόσμος μὲν δὴ τῶν ἐπῶν δευτερεῖα φέροντο ἂν μετὰ Ὀμήρου γε τοὺς ὕμνους, τιμῆς δὲ ἐκ τοῦ θεῖου καὶ ἐς πλεον ἐκείνων ἔχουσι. Cfr. Menand. de Encom. 7. extr. — Idem in nostros quoque hymnos Orphicos valere, equidem minime confirmaverim. Horum enim non exiguus est numerus, in iisque unus tantum et alter occurrunt, qui aut pietate illa simplici et verè antiqua, aut ingenuo quodam spiritu poetico, aut toto denique habitu ita sese commendunt, ut cum indole Orphica qualem finxerunt congruere, vel ad deperditorum hymnorum Orphicorum exemplum compositi esse videantur. Longissime autem ista carmina a diserta suavitate HomERICA distare, quis neget? Constant enim fere tota cognominibus diis deabusque tributis, abstinent narrationibus fabulisque longioribus, descriptiones non duobus tribusve versibus longiores occurrunt. Alii ex hac hymnorum congerie merae invocationes sunt, exiles, ieiunae, frigidae, proœmiis Homericis similes; alii nitore quodam fucato et sesquipedalibus verbis σεμνολογίαν illam Orphicam (Pausan. X. 7. v. supr.) et divinam sublimitatem mysteriorum ementiuntur; sunt qui etiam philosophorum Neoplatonicorum disciplinam ac praecepta redolent. Omnino unius neque ingenii neque temporis neque pretii sunt, et pietatem magis ficticiam quandam ac reconditam, quam sinceram aut popularem prae se ferunt. Atque dii ipsi, quibus preces fiunt, non sunt vulgares tantum totaque Graecia summa semper veneratione culti, sed rariores etiam et obsoleti, ex cosmogoniis partim repetiti, velut Αἰθέρ, Ἄντατα, Βορέας, Γῆ, Δίκη, Ἔρως, Ἔστια, Εὐμενίδες, Ζεφύρος, Ἡρακλῆς, Θάνατος, Ἴππα, Κορέβαντες, Κουρήτες, Λευκοθέα, Μίση, Νεφέλαι, Νίκη, Νόμος, Νότος, Νέξ, Ὀνειρός, Οὐρανός, Παλαίμων, Πάν, Προθυρία, Πρωτεός, Πρωτογόνος, Πέα, Σαβάζιος, Σεμέλη, Σιληνός, Τηθύς, Τιτάνες, Τύχη, Τυγία, Τυπος, Φύσις, Ὠκεανός, alii. De poeta autem centonario horum carminum facere non possum, quin Lobeckij iudicium meum faciam, quod Aglaoph. p. 395. his verbis complectitur: has precationum formulas quicumque composuerit nulli certo aut sacrorum aut hominum generi desti-

nasse, sed omnibus, qui deorum aliquem propitiaturi essent; quasi verbis praeire voluisse, non quo crederet quemquam his usurum, sed animi causa. Quantum ex antiquis quibusdam hymnis Orphicis, per mysteria fortasse traditis, sumserit, quantum ipse finxerit, nobis liquido definire non licet; nam ex prisci Orphei hymnis, quos Menander de Encom. c. 2. *ἕμνοις φυσικοῖς* adnumerat, unum tantum ἐς Ἑρωτα nominatim memorat Pausanias (IX. 27.), quo una cum Pamphico illo (v. supr.) Lycomedae in sacris procurandis utebantur; nostri autem corporis hymnorum Orphicorum vestigia prima Byzantini denique scriptores manifesto produnt, priores plane ignorant. — Veruntamen magnopere caveas, ne omnino omnem artis elegantiam his carminibus deesse existimes. Sunt quae simplicitate quadam placeant, atque inest nonnunquam epithetis summa varietas, quae animum delectat, inest vis quaedam et gratia; uno saepe verbo pulcherrima absolvitur imago. Praeterea vocabulis recens effictis vel audacter compositis singularem quandam cum Graecae linguae ingenio familiaritatem probant, ita ut satis digna videantur, quibus viri docti operam dicent. De singulis autem hymnis Orphicis hoc loco accuratius disserere supervacuum ac molestum habeo; quippe parum inter se diversi sunt et octogies octies eadem fere nobis repetenda essent, quae de omnibus in univsum satis copiose modo dixisse videmur.

Ad hymnos Homericos iam progressuros haec initio statim nos impedit gravis dubitatio, num sint vere Homericis hi hymni necne, ac quaenam fuerit eorum origo. De hac re plurimum dissenserunt priorum temporum viri docti, quorum errores asserere longum est atque inutile. Namque omnino a recta via aberraverat disceptatio, donec Fr. A. Wolfius, summus philologus, lucem intulit hisce spissis tenebris prolata sua de carminibus Homericis nova et acuta opinione in Prolegomenis ad Homeri editionem. Ubi quid de hymnis statuerit, videamus. — Laudat Schol. Pind. Nem. II. 1. Eustath. ad II. p. 6. inf. Thucyd. III. 104., ubi pars maioris hymni in Apollinem sub Homeri nomine laudata προοίμιον Ἀπόλλωνος vocatur, et Plut. de Mus. p. 1133. C: τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, ὡς βούλονται, ἀφοσιωσάμενοι, ἐξέβαινον εὐδὲς ἐπὶ τε τὴν Ὀμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποιῆσιν· δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. Quibus locis fretus Hemsterhusium ducem sequens coniecturam profert hanc, Prolegg. p. CVII. (cfr. ad Hesiodi Theog. p. 60.): Compositos a rhapsodis esse hymnos, quibus solenni recitationi Homericorum et aliorum carminum praeluderent; atque ex talibus prooemiis et fragmentis prooemiorum, a grammaticis postea in unum corpus collectis, hanc nostram farraginem hymnorum conflata esse; addita causa, non improbabili fortasse, cur illa sensim cum Homericis carminibus confusa sint. Nihil enim, ut opinor, interfuit, inquit, theatrorum istorum, exploratum habere, cui quidque deberent, quod auditu dignum esset: Alexandrinorum autem tempore, quorum maxime interfuit, nihil videtur superfuisse nisi varia et obscura fama, ut de tot aliis ἀδεσπότησις, quorum partim iam apud Herodotum mentio fit. — De minoribus hymnis G. E. Groddeckius (de Hymnorum Homericorum reliquiis) idem fere monuit,

flores esse quodammodo ex antiquorum poetarum epicis carminibus, sive rhapsodorum prooemiis decerptos.

Cui non primum audita mire placeat haec Wolfii ingeniosa sententia, ipsa simplicitate nobis arridens? Omnia aptissime cum ea convenire, multa inde demum explicari posse videntur, velut usitatae illae clausulae:

Σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ἔμνον, sive: Ἀντάρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' αἰοιδῆς, etiam hymnorum in Dionysum, Solem et Lunam (7. 31. 32.) ultimi versus. — Veruntamen quum saepius perlegeris hymnos Homericos, num in omnes aequae valeat illa coniectura, vereor ne dubites. Minime enim unius et eiusdem generis sunt hymni Homerici. Alteri exiles sunt, paucis versibus circumscripti, deorum multifariae invocationes, nihil omnino nisi praelusiones ad auspicandum aliud quoddam carmen, sive vera prooemia. Alteri longiores sunt et absoluta perfectaue carmina epica; multis enim versibus singulas exornant fabulas atque suum quodammodo finem habent in celebrando numine cui dicati sunt. Qua re diebus festis quum a diis semper recitandi initium facerent rhapsodi, nonnunquam etiam in fabula quadam mythica copiosius enarranda perstitisse videntur, ut nihil nisi eiusmodi hymnum longiorem epica arte depictum cantarent, neque ad rhapsodiam deinde sive Homericam sive aliam transirent. Etenim quis putet, hymnis tam longis tantaque arte expolitis modo prooemiorum loco usos esse rhapsodos? Neque in clausulis video quid obstat huic nostrae sententiae. Nam quid in iis ipsi poetae debeatur, quid iis, qui subsequenti tempore carmina vel decantabant vel describebant, hodie satis liquido discerni nequit. Praeterea codices in his clausulis maxime discrepant inter se, et magna inconstantia observatur in iis carminibus, quae dupliciter exstant, velut hymni in Mercurium (2. et 18.), in Cererem (4. et 13.). — Videntur igitur non fixae fuisse singulis hymnis clausulae, sed variae pro temporum opportunitate assutae. Fortasse etiam grammatici demum eas in fine omnium hymnorum temere adscripserunt, quum proprie in minoribus tantum locum haberent. — Sed haec quoque in mentem mihi venit coniectura, duplex in universum esse genus clausularum, quae in hymnis Homericis occurrunt, alterum maiorum hymnorum:

Ἀντάρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' αἰοιδῆς,

alterum minorum hymnorum:

Σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ἔμνον.

Quodsi in priori καὶ σεῖο καὶ ἄλλης per ἓν διὰ δυοῖν quoddam coniungis, optimus inde provenit sensus fere hic: Postea alio rursus carmine te celebrabo. Nunquam enim deos satis laudari posse arbitrabantur, ita ut quum vel quingentorum versuum hymnum decantassent, discedere non auderent nisi alio rursus carmine promisso. — Alterum clausularum genus nihil est nisi transitus a dei invocatione ad proprium alius cuiusdam carminis propositi argumentum. Hoc manifestissime apparet in clausula hymni in Dianam (9.):

Ἀντάρ ἐγὼ σε πρῶτα καὶ ἐκ σέθεν ἄρχομ' αἰεῖδεν.

Σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ἔμνον.

Has duas clausularum formas confuderunt postea grammatici iisque promiscue usi sunt, veram utriusque vim non intelligentes et varietatis tantum ratione habita. In tribus tamen maioribus hymnis, Apollini, Mercurio et Cereri dicatis, servatas esse clausulas quas maiorum hymnorum legitimas et genuinas modo diximus, haud exiguum ad comprobendam coniecturam nostram facere videtur. Ac si in duas partes dissolvis hymnum in Apollinem (v. infr.), prior in Delium simili clausula finitur, v. 177. sq.:

Ἀτὰρ ἐγὼν οὐ λήξω ἐκηβόλον Ἀπόλλωνα

Τυνέων ἀργυρότοξον, ὃν ἠέκομος τέκε Λητώ.

Unus in Venerem hymnus maior clausula minorum, sive prooemiorum, finitur. Veruntamen hymnis in Apollinem, in Mercurium et in Cererem quidem multo brevior est, quo cantato facile fieri potuit, ut aliud etiam recitaretur carmen. Fortasse ad illustrandam Aeneadarum originem, ut A. G. Schlegelius probabiliter suspicatus est, compositus erat hic hymnus, quem deinceps rerum ab iis gestarum enarratio secuta est. Idem fere opinatus est Aug. Matthiaeus (Animadv. in Hymn. Hom. p. 67.), qui rectius hoc carmen laudes stirpis Aeneadarum inscribi posse censet. — In minorum hymnorum clausulis adscribendis cur prorsus temere egerint librarii et grammatici isti, facile est intellectu. Qua re inde argumentum repeti non potest ad infirmandam nostram coniecturam. — Sed maioris momenti quaestionem hic reticere non possum, quae sit vocabuli ἔμνος prima significatio. Inde enim totam fere Wolfii sententiam de hymnorum Homericorum origine pendere, quis non videt? Wolfius ipse (Prolegg. p. CVII. inf.) latius hanc vocem patere ac saepe omne genus ἐπῶν complecti affirmat ex clausula illa ipsa:

Σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ἔμνον,

incredibili me hercule circulo usus in demonstrando. Poterat conferre Hesiod. ἔργ. 657. 662. — At contra Hermannus (Orph. p. 817.), ἔμνον quoque generatim pro carmine non esse antiquorum dicit, Hesiodi loco altero emendato in οἶμον. Vellem accuratius disputasset de hac re, nam ipsos viros doctos haec dubitatio adhuc vexare videtur.

Sequitur, ut pauca dicamus de G. Hermannii emendandorum hymnorum via, quae et disputandi subtilitate et scribendi elegantia mire sese commendat. Wolfii potissimum sententia de Homero usus duplicem in universum rationem in emendandis hymnis adhibendam statuit, interpolationum et lacunarum investigationem. Interpolationis enim vestigia multa in hymnis apparere, alia temere repeti, alia sibi repugnare, alia denique diverso dictionis genere exponi. Magno autem fortunae beneficio factum esse, ut in plurimis locis simul et veterum istorum carminum formam et ea, quae interpolatorum essent, haberemus; librarios enim, qui diversas hymnorum recensiones ante oculos habuissent, quum eas multis in locis congruere inter se animadvertissent, in unum corpus eas coniunxisse, semel scribentes, quae diversarum recensionum communia essent. Quamquam sic quoque factum esse, ut hic illic aliquid, sive de antiquioris poetae verbis, sive de mutationibus et additamentis interpolatorum interierit. — Haec fere est Hermannii sententia in praeclara illa Epistola ad Ilgenium prolata (p. VII. sqq.),

quam per singulos hymnos deinceps summa ingenii sagacitate prosequitur. Erit semper ille liber amplae doctrinae, mirae in investigando subtilitatis ac perseverantiae rarum documentum. Sed vereor, ut in omnibus hymnis hac emendandi ratione opus sit, neve nobis interdum Hermannii suave disserendi acumen magis se insinuet, quam rerum ipsarum vera conditio persuadeat. Nam etsi hac via sensus et sententiarum nexus meliores plerumque eruuntur, tamen non statim secandum et urendum esse censeo, ubi leniori medicamento valetudini succurri potest. Quare quum me totum prope iam in partes suas rapuisset Hermannii disputatio, lectis atque iterum perlectis hymnis ipsis animo in hanc potissimum quaestionem attentissimo, haec mihi nunc magis placet opinio, textum nostrum hymnorum, licet multis locis inquinatum, certe non ita depravatum esse, ut duas vel plures recensiones olim fuisse credendum sit. De minoribus hymnis Hermannio parum repugno, modo a rhapsodis ipsis illas recensiones factas esse concedatur. Hos enim, quum saepius iisdem carminibus prooemiorum loco uterentur, aliquid mutasse, interpolasse, reiecisse, prout temporum opportunitas postularet, nihil est quod mireris. — Sed haec hactenus; nam accuratius de hac re disserere non fert huius commentatiunculae ratio.

Hoc igitur in universum statuo: hymnos Homericos neque eiusdem temporis esse, neque ab uno auctore factos. Verum hanc certe cum Homero, cuius nomine ornati sunt, affinitatem habent, eamque maximam, quod sunt prorsus epici generis. Nam sicut in Iliade Achillis aliorumque heroum facinora, in Odyssea Ulyssis errores et res gestae celebrantur; eodem modo maiores quidem hymni Homericus mythicas quasdam fabulas, sive numinis natales, virtutes, amores, sive sacrorum institutionem, sive alia eiusmodi ita enarrant, ut in singulis hymnis unitatem quandam argumenti animadvertas. Praeterea, quamvis scribendi genus non satis sibi constet, dictio nonnunquam tenuis, ieiuna et languida sit, tamen totius linguae habitus proxime ad Homeri sermonem accedit, neque multa invenias, quae ex huius consuetudine explicare nequeas. — Quam ob rem illos parum errare existimo, qui non multum post Homeri tempora hos hymnos compositos esse censent, et nisi ab ipsis rhapsodis, ab auctoribus saltem, qui Homeri carmina crebro recitantes in magnam cum divino poeta familiaritatem sese insinuarunt. Etenim in versibus ipsis quidem nihil fere inest, quod ab illis temporibus dissonet; sermo in universum simplex, purus, neque veterum epicorum, qui Hesiodum subsecuti sunt, consuetudini dispar; correptiones, caesurae, hiatus vix ulli nisi legitimi. Cum illis vero facere nolim, qui nostris diebus antiquam illam atque obsoletam opinionem rursus amplexi sunt, quasi Homerus quem dicunt ipse, vel saltem unus eiusdem temporis poeta haec carmina condiderit. Probabilior sane Groddeckii (l. c. p. 27.) opinio est, nostram hanc hymnorum farraginem indocto compilatori nos debere, quippe qui e pluribus quae forte ad manus erant hymnorum anthologiis novam hanc consarcinaverit. — Apud antiquos variae de hoc re sententiae extitisse videntur; verum non magni facienda est veterum auctoritas in tali quaestione critica. Thucydides (III. c. 104. v. supr.) laudat Homerum auctorem hymni in Apollinem; Diodorus hymnum in Dionysum, Pausanias hymnum in Cererem eidem vindicant (Diod. Bibl. T. I. l. IV. p. 252. Pausan. II. 14. IV. 30.); universe de hymnis

Homericis primus disputavit Pausanias (IX. 30. v. supr.), sed collectionem sine dubio aliam ac nostram sub oculis habuit; Athenaeus minoris aestimat hymnos neque Homero dignos. Optimi quique scriptores antiquitatis prorsus fere negligunt ista carmina, neque omnino ullus doctorum interpretum Alexandrinorum ea ingenio Homeri tribuisse videtur. Nusquam enim in tot Scholiis ad Iliadem et Odysseam, ne semel quidem, auctoritas hymnorum affertur, quum eius rei frequens occasio esset. Etiam hic silentia loquuntur, ac facile conici potest, nullum tum celebre fuisse corpus hymnorum, paratum ab erudito grammatico.

De singulorum hymnorum habitu et argumento, ad quae enarranda iam pergit disputatio nostra, satis copiose, docte ac dilucide disseruerunt Groddeckius, Ilgenius, Matthiaeus, triumviri de hymnis Homericis optime meriti; ex quorum abundantia pauca tantum decerpere placet breviterque perstringere, quae ad cognoscendum hymnorum Homericorum proprium genus aliquid conferre videantur.

Hymnum in Apollinem, qui in libris Mss. 546 versus complectitur, in duos hymnos dividendum esse, iam Ruhnkenius extra omnem dubitationem posuit (Epist. critic. p. 91.). Totum enim argumentum utriusque diversum, dictio varia, utriusque suum quoddam exordium, suus epilogus. Hermannus (Epist. ad Ilgen. p. XX. sqq.), nimio illo studio critico usus, quatuor, Groddeckius quinque, Fr. Chr. Matthiaeus vel octo in hoc carmine coaluisse hymnorum fragmenta suspicati sunt. De qua emendandi ratione quid in universum sentiamus, supra significavimus; plura hic addere supersedemus. Hoc carmen inter antiquissimos hymnos Homericos numerandum esse, in eo fere omnes consentiunt viri docti; dictio enim prope Homericæ, narratio simplex, elegans, Apolline digna; inveniuntur quae de Iliade nos moneant, velut v. 84—88. cfr. II. XV, 36—38. Utriusque denique hymni argumentum pulcherrimum est et absolutam ac perfectam quandam fabulam enarrat colore vere epico adumbratam. Altero in Apollinem Delium miseriae et errores Latonae a Iunone fugatae, natales Apollinis laudesque ludorum Deliacorum continentur. Altero in Apollinem Pythium huius dei iter per Graeciam ad sacra sibi condenda factum, Tilphussae nymphae fraus eiusque ultio, serpentis interemptio, fabula de mercatoribus Cretensibus amoenissima, sacrorum Delphicorum denique institutio celebrantur.

Prorsus singularis est hymnus in Mercurium. Fabula de astutia, fraude et furto huius dei recens nati hilari et naturali quadam suavitate exposita est ac redolet magis iocum et ludibrium, quam pristinam illam et simplicem pietatem ceterorum hymnorum. Unde orta sit haec hymni natura, non liquido apparet, nam de lascivia quadam in cultu Mercurii adhibita nihil certi comperimus, ac Welckeri coniectura nimis longe petita videtur, quasi ad irridendos homines agrestes, quorum peculiaris deus olim Mercurius fuerit, ab urbanis et proceribus quibusdam factam sit hoc carmen. De eo vix dubito, quin hic hymnus ceteris multo posteriori tempore compositus pluribusque locis corruptus sit; verum non ita, ut plures cum Hermanno recensiones statuendas esse putem. Quid porro Matthiaeum in eo tam male habere potuerit, ut corruptissimum eum totius antiquitatis documentum diceret, omni nexu vacuum, equidem non intelligo. Omnia mihi bene cohaerere videntur; unum argumentum toti carmini subiectum est atque hoc ita

pertractatum, ut res non narrari, sed agi oculisque quasi conspici videantur. Propter singularem quandam venustatem ac dignitatem sermonis etiam Steph. Bergler hunc hymnum et sequentem Veneri dicatum prae ceteris Homeri nomine dignos iudicavit (Praefat. Odys. p. 17. sqq.). Accuratius de hac re agit Ilgenius, qui optime totius hymni summam ita complectitur (p. 354.): Recensentur varia summae vafritiae et calliditatis specimina, quae Mercurius recens natus edidit, ut honorem consequeretur eo quo alii dei conspici essent non inferiorem. Sive brevius: Est dolus Mercurii in acquirendis honoribus. — Ita omnia inter se optime cohaerere, nec quidquam ab hoc argumento alienum esse existimo. Ipsa lyrae inventio, quae omnes fere interpretes offendit, consulto inserta est ad declarandam Mercurii infantis prudentiam. Qui quum boves Apollinis furto abactus esset, testudini obviam factus statim intellexit, hac se mox ad Apollinem sibi reconciliandum callide uti posse. At nihil amplius opus est nos adicere; satis profecto sese commendat simplex Igenii sententia cuius totum hymnum integro animo perlegenti. — Eandem fere de Mercurio fabulam narrat Apollodorus (III. 10. 2.), modo minutis quibusdam rebus diversam, ita ut hunc poetam auctorem secutus esse videatur. Similem, sed aliunde sine dubio petum, Alcaei quoque hymnum notat Pausanias (VII. p. 436.), quem Horatius imitatus est (I. 10. v. Porphy. ad h. l.). — Vossius (Epist. myth. I. p. 98. sqq.) Cynaethum rhapsodum Aeschylī aetate Syracusis carmina Homerica recitantem auctorem huius hymni suspicatur; nescio an satis probabiliter. Homero certe hoc carmen non esse adiudicandum, totius sermonis habitus satis manifesto significat. Cfr. Ilg. p. 356.

Hymnus in Venerem iure inter pulcherrima totius antiquitatis carmina numeratur, Venere dignus ob dictionis atque enarrationis nescio quam venustatem. Venus ipsa vi amoris subacta fingitur, ne de diis imperio ipsius obedientibus sola invicta triumpharet. Profecta in Idam montem cum Anchise dissimulata divinitate concumbit. Eundem deinde ne dea sit magno-pere timentem consolari studet praedicans, se parituram ipsi filium Troianis imperaturum. Ipsa autem, quum eam poeniteret cum mortali viro concubuisse, in Aeneadarum laudibus solatium invenit. Qua re quum Anchisi iniunxisset, ne Venerem Aeneae matrem esse postea vulgaret, ad coelestes rediit. Verum non licet singula tantum delibare ex poemate tam artificiose facto; nihil enim omitti, nihil alio ordine enarrari potest, quin totius carminis suavitas deleatur. — Multum placet Groddeckii opinio (de Hymn. Hom. Reliq. p. 41.), ad Cyprias fabulas, Stasino Cyprio adscriptas, referendum esse hunc hymnum. Vossius (Epist. myth. II. p. 176.) eum Anacreontis aetatem ad summum attingere ait, sed, qua ratione hoc efficiat, vir acutissimus, non addidit, nisi hoc ex toto colore dictionis apparere dicas, simplici illo quidem et venusto, elimatiori tamen, quam antiquior aetas ferre videatur. Matthiaeus denique ad Mimnermi aetatem revocandum esse hoc carmen suspicatur (I. I. p. 75.).

Ad Eleusiniarum sacrarum originem celebrandam hymnum Cereri dicatum spectare cum plurimis viris doctis statuere malim, quam cum Matthiae in raptu Proserpinae summam argumenti ponere. Lycomedas sacra Cereris et Proserpinae (τῶν μεγάλων θεῶν) Eleusine cu-

rantes similes hymnos ab Orpheo, Musaeo et Pampho compositos in teletis decantasse supra significavimus. Etiam in Arcadia, Paro, Delo ἢ Ἐλευσίς τῆς Θεᾶς celebrabatur. Hymnum Homericum, quem in bibliotheca Moscoviensi repertum Ruhnkenius primus in lucem protulit ante hos fere septuaginta annos, laudat Pausanias (v. supr.); neque dubium videtur, quin inter antiquissimos numerandus sit, qui hoc hymnorum corpore continentur. Vossius in Animadv. ex multis Atticis, qui in eo insunt, hunc hymnum non ab Homero, quem Pausanias auctorem putavit, sed a rhapsodo quodam HomericO Olympiade fere tricesima compositum esse existimat, qui Eleusine in solennibus sacris recitaretur. Dictio plerumque Homero digna, argumentum unum narratione iucunda, vivida vereque epica explicatur. Proserpina in campo Nysio flores legens inscia matre a Plutone rapitur. Ceres illam quaerens orbem pererrat, et quum a Sole raptorem filiae comperisset, vitans deorum consortium prope Eleusinem consedit aniculae specie induta. Ibi a Celei regis filiabus comiter excepta deinde in aedibus regis nutritis munere fungitur. Sequitur Demophontis educatio, templi ac sacrorum Cereris ad fontem Callichorum conditorum descriptio, Proserpinae reditus ex inferis ac Cereris cum diis hominibusque reconciliatio. Haec omnia ita exposita sunt, ut, quo saepius legas, eo maiori voluptate perfundaris facileque intelligas, quantum intersit inter ieiunos illos fabularum narratores et verum poetam epicum. Etenim pertractarunt idem argumentum Apollodorus (L. 5.), Hyginus (F. 146. 147.), Ovidius (Fast. IV. 554. sqq.).

Restant triginta hymni minores, de quibus in universum iam supra dictum est. Nonnulli fortasse ex hymnorum Orphicorum corpore huc immigrarunt; alii maiorum quorundam hymnorum aut aliorum carminum epicorum fragmenta esse videntur, quibus grammatici demum inscriptiones suas addiderunt. Ac de hymno in Martem quidem nemo facile erit, quin sibi plane persuadeat eum ad Orphica esse relegandum; nihil enim est nisi invocationum et epithetorum congeries. Qua re Hermannus in editionem suam Orphicorum eum recipere optimo iure non dubitavit. Idem iam Ruhnkenius vidit (Epist. crit. I. p. 60.); minus probabiliter sane Matthiaeus Proclo hoc carmen adiudicandum esse censuit. Eiusdem fere generis esse videntur hymni 14. et 30. — εἰς Μητέρα Θεῶν et εἰς Γῆν μητέρα πάντων —, magis tamen argumenti quam dictionis causa. Sunt qui idem fortasse de hymnis 23. in Iovem, 12. in Iunonem, 24. in Vestam censeant. Hymnos 18. in Mercurium et 13. in Cererem inter hymnorum Homericorum fragmenta numerat Franke ad Hymn. in Merc. v. 65. p. 60. 61. coll. Hymn. in Merc. (2.) v. 1 — 9., in Cerer. (4.) v. 1. 2. — Eodem modo hymni 10. in Venerem mutilam formam facile explicari posse, quis est quin videat? Interiit fortasse maior quidam in Venerem hymnus; qui si, velut hymnus in Mercurium, in lucem aliquando prodiret, istorum versuum patriam quasi subito nobis ostenderet. — Hymnus 6. in Venerem est perfectum quoddam et absolutum carmen epicum, quo huius deae in Cypro insula a nymphis exceptio celebratur. — Eadem fere natura est hymnorum 27. in Dianam, 28. in Minervam, aliorum. — Hymnus 25. in Musas et Apollinem sumptus est ex Hesiodi Theogonia v. 94 — 97., addito primo versu et epilogi formula. Atque hoc modo apud Graecos nonnunquam hymnos ortos esse docet ipse Menander de Encom. c. 9. cfr. Heeren, Comment. Men. praefat. p. 19. — Eadem rati-



one singularem hymnum 15. εἰς Ἡρακλῆα λεορτόθυμον pro exordio Heracleadis cuiusdam habuerim, cuius argumenti poemata Pisandrum Camirensem (Ol. 33.) et Panyasin Halicarnasseum (Ol. 78.) condidisse tradunt. V. Fabr. B. Gr. I. p. 590. not. Quint. X. 1. 54. Brunck. Poet. gnom. p. 130. — Similem denique originem hymnus 16. in Aesculapium habuisse videtur; nam ex Apollodoro quidem discimus (III. 10. 3.), Panyasin, Stesichorum, alios poetas fabulas, quae de Aesculapio ferebantur, longioribus carminibus enarravisse. — Verum hunc explicandi canonem in universum statuere satis habeamus; in singulis ab errore cavere difficilius est. — Quatuor hymnos, in Bacchum 7., in Pana 19., in Neptunum 22., in Iovis Pueros 33., ad dithyramborum genus referendos esse opinati sunt multi viri docti, exordiorum causa: Ἀμφὶ Διόνυσον cet. (cfr. Schol. Aristoph. Nub. 595.). Ernestius vero talem exordii formulam multis hymnis solennem fuisse iure existimat. Ceterum delectat hymnus iste in Bacchum 7. pulcherrimo quodam colore epico, quo Bacchi de Tyrrhenis victoriam exornat. Cfr. Ovid. Metam. III, v. 582. sqq. Apollod. III. 5. 3. Hygin. F. 134. — De hymno 19. in Pana facere non possum, quin Groddeckii et Matthiaei sententiam amplectar, qui eum ex duobus eidem deo dicatis hymnis consutum esse dicunt, quorum alter huius numinis vitae consuetudinem eiusque cum Nymphis saltationes celebrat, alter natales eius nominisque Πανός originem, sive etymologiam quam dicunt, enarrat. Versum 27. ad collinendas has duas hymni partes insertum putant. — Hymnos 31. in Solem et 32. in Lunam Hesiodicis Eoëis, vel alii eiusmodi carmini praefixos fuisse ipsae clausulae satis manifesto demonstrant.

Aegre me hercule fero, quod tam paucis breviter percursis iam mihi discedendum est ab hymnis Homericis, quibus iterum atque iterum perlectis maiori in dies voluptate perfusus sum. Quos qui vel summis labris degustaverit, facile intelliget, quantum prae ceteris eiusdem generis carminibus excellent. Veruntamen diutius in hac re summae iucunditatis commorari commentationis nostrae circumscripta ratio non concedit; nam ad Callimachum iam progrediamur necesse est.

De Callimacho Cyrenaeo, a Batto, patriae urbis in Africa conditore, Battiadae nomen adepto, vix affirmare possumus, utrum maiorem ab amicis, an ab inimicis iniuriam acceperit. Namque illud quidem, quod Anna Fabri nimio erga eum amore provecta exclamat: Callimachus ubique mihi divino numine afflari semper visus est, aequae longe a vero distat, quam quod alii censent, omnem omnino virtutem poeticam, omnem ingenii vim defuisse Callimacho. V. Jacobs. ap. Sulzer. II. p. 86. sqq. — Qua re ne inique de Callimacho iudicemus, temporis quo scripsit rationem habere debemus; nam suae quisque aetatis quodammodo fructus est. — Universus antiquitatis habitus immutatus est extincta Graecorum libertate, quum totius prope orbis terrarum artes et litterae Alexandriam confugerent. Vix quidquam nisi lingua pristinae Graecorum praestantiae superstes erat. Poesis ab usu vitae in privatos parietes revocata mero ingenii lusui inserviebat. Virtutem poeticam non divinam illam a Musis inspiratam habebant, sed quae doctrina parari posset, ut quo quis plura memoria teneret, eo meliorem eum poetam esse putarent. — Haec πολυμαθεια in Callimacho quoque apparet maxima, atque hac

ipsa doctrina optime de litteris antiquis meritis est. Scholam enim Alexandriae instituit, ex qua prodibant grammaticorum principes illi, Eratosthenes, Apollonius, Aristophanes eiusque discipulus Aristarchus. Eundem ipse Ptolemaeus Philadelphus, Aegypti rex, praeclarae eruditionis causa maximi fecit, beneficiis cumulavit, in intimam etiam familiaritatem recepit. Universum litterarum genus eum complexum esse testatur Cicero, de Orat. III. 33. Cfr. Strab. IX. p. 438: *Καλλιμάχος... πολυτάωρος, εἰ τις ἄλλος, καὶ πάντα τὸν βίον, ὡς αὐτὸς εἶρηκε, τοιαῦτα μνησθεῖσθαι βουλόμενος.* Idem scripta ipsius produnt, quae permulta diversissimique argumenti laudantur apud veteres. V. Suid.: *καὶ ἐστὶν αὐτῷ τὰ γεγραμμένα βιβλία ἑπὶ τὰ ὄ.* Cfr. *Fragmenta Callimachi a Bentleio et Valkenario collecta et Catalogum Scriptorum ap. Ernest. I. p. 415.*, quae sunt ad quadraginta unum numero. Ex carminibus maximam partem deperditis Elegiae, quas imitati sunt Propertius et Catullus, praecipue laudantur ab antiquis. V. Quint. Inst. Or. I. 1. 58. Molles eas amorisque plenas, sermone agitato et eleganti insignes, doctrinam rarius prae se ferentes fuisse praedicant. Quibus si propitia fortuna magis pepercisset, melius sane intelligeremus, quo iure Callimachus tumulo suo inscribendum sinxerit:

*Βαττιάδεω παρὰ σῆμα φέρεις πόδας, εἴ μὲν ἀοιδὴν*

*Εἰδότος, εἴ δ' ὀϊνῶ καίρια συγγελάσαι.*

Verum nihil ex tanta scriptorum farragine integrum ad nostram pervenit aetatem nisi epigrammata fere sexaginta et hymni quinque dialecto Ionica, quibus vulgo additur sextus in Lavacrum Palladis, Dorica scriptus dialecto, quem ab hymnis separandum et elegiis potius, quarum metro etiam compositus est, adscribendum esse, dudum iure optimo monuit Blomfieldius. Quae paucae reliquiae quum doctrinam poetae variam ac subtilem, tum poetici sermonis quo utitur puritatem, concinnitatem et elegantiam abunde testantur. — Sed de hymnis iam paulo accuratius nobis dicendum est.

Callimachus in universum rationem hymnorum Homericorum maiorum sequitur, ut fabulas narret. Veruntamen satis mirari non possum Souchayi, abbatis Francogalli, iudicium his verbis enunciatum: Nulle différence entre les hymnes de Callimaque et ceux qui portent le nom d'Homère, ni dans le dessein général ni dans la distribution des parties (Mém. de l'Acad. des Inscr. XII. p. 10.). Immo vero vel maxime interest inter hymnos Homericos et Callimacheos. Hymni in Iovem et in Apollinem minores ieiunioresque sunt ceteris; maximus in Delum insulam epos quodammodo est rhetorice adumbratum Homericoque quodam colore fucatum, siquidem hymnum Homericum in Apollinem (v. 19—178.) aperte imitatur. Optimus sine dubio hymnus in Dianam est, quippe qui venusta quadam simplicitate conspicuus proxime ad pristinam illam hymnorum indolem accedat. Hymnus in Cererem demique sacris quibusdam Alexandrinis destinatus erat; narrationibus intertextis variatus lacunis depravatus est. Ceterum Callimachus non singulas quasdam dei actiones celebrat perfecta et expleta omnibus suis numeris ac partibus narratione, sed fabularum delectum facit atque animo indulgens ab una ad alteram descendit, interiectis passim numinis praeconio et invocatione, Neque eas potissimum seligit narrationes, quae plurimum faciant ad

illustrandum deum, quaeque cum toto carminis argumento congruant, sed raras potius et absconditas, quae doctrinae ostentandae occasionem praebent. Volat per fabularum hortum, ut ita dicam, velut apes flores degustans diversissimos atque ex omnibus mellis aliquantulum sugens. Sed deest plerumque splendida illa simplicitas vere antiqua, sententiarum magnitudo, adfectuum vehementia, quibus Homerus, Pindarus, Aeschylus, Sophocles animos lectorum delectant, incendunt, abripiunt. Non apparet in eo audacia illa poetica, quae divino quodammodo numine moderata magna et egregia parit; tutus humi incedere quam cum periculo in sublime assurgere mavult. Cfr. Fragm. 165:

Μηδ' ἀπ' ἐμοῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.

Hoc ipsi admiratores eius concedunt. Etenim quo tandem alio sensu intelligamus illud Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος (Anthol. I. p. 139.)? vel quod Propertius dicit, II. 1:

Sed neque Phlegraeos Iovis Encladique tumultus  
Intonet angusto pectore Callimachus?

vel illud pure poeta (Propert. III. 8.)? — Quid mirum? Hymni Callimachi non ad sacrorum solennium celebritatem, sed ad veterum poetarum imitationem ingenii exercendi vel doctrinae ostentandae causa compositi erant. Quodsi igitur memineris, quantum numinis colendi maiestas, quantum pompae solennitas, hominum effusa multitudo, locorum sacrorum religio, accinentium tiliarum saltantisque populi strepitus ad vatium animos vehementius commovendos valuerint, mirari desines, carmina illorum interiori spiritu, oratione grandiori ac sublimiori, verborum impetu concitatiori prolata fuisse, ut a diis ipsis, qui sacris interesse putabantur, quasi subiecta viderentur. Tanta deorum veneratione animus Callimachi perfusus non erat, quippe qui privatos cum aliis disceptatiunculas imprecationibus deorum intermiscere non vereretur. V. Hymn. in Apoll. v. 105. sqq. Ubique ex carminibus ipsius doctus ille limatusque grammaticus perlucet, qui nimia plerumque doctrina lectoris animum obruit atque defatigat. Semper argutatur in scribendo; elegantissime disponit carmina; numeros maxima cura expolit; iterum atque iterum singula retractat; verborum delectu aliorumque poetarum imitatione sermonis venustatem augere studet. Quid multa? Mediocritas ubique spectatur, sed mediocritas pulchra nonnunquam, suavis ac nitida, neque ullis fere maculis adspersa. Qua re non iniuste de eo praedicare videtur Ovidius, Amor. I, 15. 13:

Battiades semper toto cantabitur orbe;  
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Non opus est singula, quae offendant, vel minus placeant, me hic afferre; neque enim pauca sunt, neque difficilia inventu. — Verum illi tamen Callimachum iniuria afficere videntur, qui pietatem erga deos in eo nullam esse eumque arte tantum omnia simulare ac mentiri dicant. Equidem in hymnis Callimacheis pium quendam gratumque erga deos animum minime unquam desideravi, ac temporis modo facultate concessa, copiosius de hac re disserendo singulisque hymnis pertractandis facillime demonstrare posse confido, multa omnino inesse, quae cuivis integro animo legenti

placere debeant. Ut unum e multis afferam: quis Callimachi artem cum Anna Fabri tum non miretur, quum in laudes Ptolemaei Philadelphi delabens potestatem regiam praedicat (hymn. in Iov. 70. sqq. in Delum 160. sqq.)? — Atque aliquam utique voluptatem ex Callimacho percipisse videntur illi, qui summa doctrina ingenique acumine praediti multum operae in hisce carminibus ponere non recusarent, Bentleius, Spanhemius, Ernestius, Ruhnkenius, alii. Bene igitur Naekius, optimus in tali re iudex, quidquid sit in Callimacho, inquit, quod omni tempore viris doctis placuit, aliquid inesse, quo placuerit, maiorique dignus cura visus sit, et debeat etiam nunc videri, necesse est (Comment. de Callim. Hecale init.). — Denique quantopere veteres ipsi eum dilexerint, multa exstant testimonia, velut Anthol. III. 25:

ὦ μάκαρ ἀμβροσίησι συνέστικε φίλτατε Μοῦσαις  
Χαῖρε, καὶ εἰν ἀίδεω δόμασι Καλλιμάχε.

Praeter hymnos Homericos et Callimacheos nulli vere epici ad nostram pervenerunt aetatem, quamvis plures olim fuisse constet. Successit deinde aliud genus hymnorum prorsus diversum, quod nihil fere nisi versum hexametrum et dialectum Homericam cum illis commune habet. Qua re hic breviter ac summatim eos percurrere satis habeamus. Non sine causa hymnis philosophicis nomen a multis viris doctis iis inditum est, quia deorum numen ex sanioris rationis praeceptis et philosophorum placitis ac decretis celebrant, ad Christianorum cantilenas sacras propius accedentes. Horum praeclarissimum exstat exemplum Cleanthis hymnus in Iovem, quem non dubito inter pulcherrima huius generis carmina numerare, non modo Graecorum, sed omnium cuiusvis aetatis populorum. Quid enim sublimius cogitari potest hoc hymno? Vel nostrum unicum deum vix digniori cantu venerari queas. Quem quum primum perlegerem, pia quadam admiratione perfusus, sive potius obstupefactus sum, ita ut in animum mihi inducere prope non possem, Graecum philosophum Stoicum, Zenonis auditorem et successorem, ducentis iam ante Christum natum annis hoc carmen composuisse. Quo tandem alio testimonio opus est ad refellendum illud, quod Cicero de eo narrat, Acad. 2. 41: Cleanthem solem dominari et rerum potiri putasse? Cfr. Diog. L. 7. 139: τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου Κλεάνθης φησὶ τὸν ἥλιον.

Ex inferiori denique aetate (c. 450. p. Chr. N.) huc etiam referas Procli Lycii hymnos fere consimiles toto animo et argumento. Horum quatuor in Solem, Venerem et Musas dudum in lucem editi fuerant, duo, alter in Hecaten et Ianum, alter in Minervam Polymetin, nostra memoria et codice Matritensi accesserunt. — Numerorum quidem est maior quaedam durities; non sunt ita expoliti versus; occurrunt nonnunquam quaedam non satis poetica neque digna puritate pristini temporis. Ceterum sensus insunt pii et boni. Precatur Proclus a diis, ut animi corporisque salutem et incolumitatem, peccatorum veniam sibi dent, ut mentem ipsius regant, a pravis opinionibus et cupiditatibus prohibeant, vitiis et sceleribus purgent; contra verum perspicere et animum rationi obedientem reddere concedant.

Iam quum per hymnos Graecorum epicos longum iter perfecerim, venia mihi implo-  
randa est, quod rem tam difficilem ita absolvere non potui, velut tum argumenti gravitas  
postulaverit, tum ipse, modo temporis et librorum copia concessa, maluerim. Sit igitur pro  
facto voluntas, nam in magnis etiam voluisse iuvat.

Sed discedere hinc non possum, nisi Cleanthis de fato versibus prope christianis huius  
libello finem imposuerim, quibus nihil aptius habeo, quod hoc ultimo loco ponam. Inveniuntur  
in Epicteti Enchiridio, c. 52:

Ἄγον δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σὺγ' ἡ Πεπρωμένη,  
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος.  
Ὡς ἔψομαι γ' ἄοικτος ἦν δὲ μὴ θείω,  
Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἔψομαι.

... und ...

... und ...

A. Allgemeine Begriffe

...

B. Besondere Begriffe

...

...

...

...

...